wenn gleich eine Carex vera — ebenfalls zwei Narben vorherrschend zu sein scheinen, nämlich in die der *Carex aurea*. — Ein ähnliches Verhältniss, wie bei *C. chalaros*, findet beiläufig auch bei *C. floridana* Schwntz. statt. Auch bei dieser kommen häufig nur zwei Narben vor, und sie hat in Folge dessen, sowohl bei Kunth wie bei Steudel, sich von den nächsten Angehörigen der einen Seite trennen und zu den Vigneen wandern müssen. Nicht selten aber sind auch bei dieser Art die Narben normal ausgebildet, d. h. sie hat oft deren drei.

De Thamnolia genere Lichenum nondum rite definito breve commentarium. Auctore D. A. B. Prof. Massalongo, Academiae Caes. Leop. Car. Naturae Curioso. Polfinio.

Quam vehementer aliquando fallimur! — Quamque saepe rectam judicandi rationem relinquimus, sensibus nostris fidem negantes, ut ratiocinationi cuidam non raro erroneae fidem adhibeamus, mentisque nostrae hypotheses sequamur, quum in scientiis naturalibus a sensibus ipsis, qui res percipiunt, proficisci necesse sit!

Ecce tibi lichen, qui abhinc jam fere saeculum inter lichenologos disceptationes gravissimas excitavit, ab eorumque majori numero autonomia omni est privatus et tanquam varietas quando hujus quando alius speciei vix est habitus, et a nonnullis etiam a scientiae catalogo exclusus, vixque existentiae dote donatus, inque entia monstrosa rejectus. „Tam ob pedeticorum indolem evidenter morbosam, quam sterilitatem perpetuam, nullo modo speciem esse normalem et genuinam certissimum est. Plene assentio acutiss. Wallrothio nec efficere quidem varietatem, sed tantum esse prolem degeneratam in uliginosis alpium ortam.“ — Ita ajebat eximius ille Lichenologiae Europaeae reformatae auctor, celeberr. Fries (p. 220), multoque pejora, qui in ejus auctoritate jurarunt. Enim vero haec plantula periodo ac tot aliae, suis constantibus legibus praedita, efficit speciem nullo dubio distinctam, immo etiam genus novum et novam tribum. — Hujus rei detegendae laus mihi feliciter fuit servata.

Ne tam severe in hunc lichenem sententiam ferremus, actis profecto fuisset animadvertisse et cogitasse, a primis unquo temporibus ad nostram hanc aetatem eum constanter characteres proprios ac singulares exhibuisse, nec unquam inveniri potuisse rationem,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05971-0233-7

quibus in hanc vel in illam speciem referri jure contigisset. — Monstrum hoc tam diffusum, tam constans, tam aequale, in tot orbis partibus, difficile quidem est, esse anomaliam quandam; et si forte esset, tam longo temporis spatio ea in organismo mutatio fieri debuisset, quae naturae lex fortasse evasisset: et lichen ipse veluti autonomus esset respiciendus.

Ita mea sententia dicendum est de tot varietatibus ac formis Lichenum; ex. gratia *Lecanorae subfuscae*, *pallidae*, *Lecideae aurantiacae*, *Opegraphae atrae*, *Verrucariae rupestris*, *Parmeliae parietinae*, *Biatorae anomalae*, *Lecideae parasemae*, etc. etc. aliarumque multarum, quae eaedem semper cum iisdem characteribus ubique reperiantur, debent jam tandem ad specierum dignitatem evehi, quae demumcumque sit primitiva eorum natura. — Ab hac sententia excipi tantum debent formae illae ac varietates, quae e locorum circumstantiis eveniunt, quaeque locis mutatis in pristinum typum redeunt nobis propemodum inspectantibus. — Eae tamen formae progressu temporis ponderis maximi evadere possunt, nam mutationes ipsae levissimae aliquando etiam fortuitae repetendo in vegetabilis organismo ea possunt afferre, quae serventur ac perpetuentur, etiam locorum circumstantiis mutatis.

Hac de causa multos lichenes, qui haetenus varietates habiti sunt, species veras autonomasque judico, etsi de aliquibus suspicio originis jure habeatur. Animadverto tamen me non hic loqui de specie, prout definitur in theoretica naturali philosophia, qua ratione argui merito possim; loquor tantummodo de specie materialiter et practice sumpta, id est de complexu charaterum constantium, quibus aliud ab alio ens vegetabile distinguimur.

Sed ut ad *Thamnoliam* veniamus, satius erit describere formam originariam ejus fructificationis aliquanto latius, difficile enim est in una diagnosi (quae sequitur) characteres ejus praecipuos persequi omnes.

Thamnolia Ach.
In litt. ad Schaer. 1819.

Apothecia abnormia, terminalia, aggregata, e thalli strato medullari oriunda, pustularum adinstar protuberantia, excipulo destituta. Lamina proligera colorata, ceracea absque lichenina, constanter thalli strato corticali cribrose-perforato (qua latitudine lamina prol. patet) nunquam dehiscente tecta. Asci lineares clavati 8-spori, paraphysibus parcis capillaribus hypothecio agonimico impositis obvallati; sporae ovoideo-fusiformes minutae diaphanae uniloculares. Thallus (podetia) cartilagineus verticalis, fistulosus, flexuosus, pro-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05971-0234-3

stratus vel erectiusculus, subramosus v. subsimplex, subuliformis, protothallo (thallus Auct.) nullo enatus.

Observationes. Apothecia ut dixi oriuntur ab apice podetiorum, id est sunt terminalia: ea si quidem sunt in unico podetio fructifero quod mihi sit praesto, testari tamen nequeo, id esse characterem ejus constantem, aut fortasse apothecia in aliis quoque thalli partibus nasci. Atque haec de loco apotheciorum. Forma autem eorum complicata nimis est, et ut de ea clarius aliquanto loquamur, a podetiorum structura proficiscendum.

Haec igitur sunt fistulosa id est interne vacua: substantia peripherica constat fibrillarum vi perexiguarum ac capillarium, quae vix discernitur, gonidiis et chloro-leuco-coniogonidiis commixtae, substantiaeque mucilaginosae aquae avidissimae: intus et foris obtectae duobus stratis satis pinguibus, id est epidermide quadam amylacea tenaci anista, ita ut illud stratum fibris ac gonidiis compositum videatur stratum thalli medullare, duae vero membranae epidermis interna et externa, uno tantum discrimine, quod externa est interiori multo pinguior. Ex hoc medullari strato thalli nascuntur apothecia, ibique per omnem vitam commorantur. Statu quo mihi adsunt discus recubat in strato medullari sine excipulo, sed cum hypothecio, et eminet externe, relicta cavitate in interiori podetio, ut observatur in pustulis thalli *Umbilicariae pustulatae*, quae cum in superiori thalli parte sint convexae, cavae sunt in inferiori.

Epidermis illa anista podetiorum constanter remanet tam externe quam interne; externa tamen, per totum illud spatium, quod disco operitur, videtur minute verruculosa et madefacta lentis ope regulariter perforata conspicitur, tamquam cribrum, ita ut color disci corneus appareat. — In tribus omnibus apotheciis, quae gerit podetium fertile a me examinatum, aequalem inveni structuram, quare dubium oriri posset debeatne collocari inter gymnocarpos aut angiocarpos, aut potius in sectioni aliqua particulari media.

Sed obiter dicam inter gymnocarpos referri oportere; neque enim putandum est, ut nonnulli existimant, gymnocarpos comprehendere eos lichenes, quibus est lamina proligera aperta et soli exposita: angiocarpos vero, quibus ea clausa est et abdita: sed gymnocarpi dicuntur lichenes, qui sobolem habent in lamina explanatam et extensam in plano horizontali: angiocarpi vero, qui sobolem habent in communi centro s. nucleo coadunatam, vel ut melius dicam a centro radiantem, simulque colligatam praecipuo quodam amphithecio.

Hac de causa *Phlictis*, *Thelotrema*, *Volvaria*, *Gyalecta*, *Petra-*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05971-0235-9

chis, *Antrocarpum* etc. etc. sunt omnino gymnocarpi, et proxime *Hymeneliis* debent accedere; eaque ratione voces discocarpi et pyrenocarpi, accuratiores aptioresve viderentur.

Asci autem *Thamnoliae* et paraphyses et sporae conveniunt ad amussim cum ceteris *Cladoniaceis*, nihilque proprium invenio, nisi structuram apothecii et locum. Atque hac de re satis. Id unum objici posset, epidermisne, quae discum operit, sit disci *epithecium*, et foris illis scatere, incipientis dilacerationis causa, disco erumpere nitente. Objectionem hanc aufert regularitas foraminum, quae observantur in tribus omnibus apotheciis, deinde natura epidermidis, quae cum epidermide podetii conjungitur. Commemorabo tandem duas hujus generis species, licet unius tantummodo viderim organa fructificationis, idque ob rationes supra antea expositas, et quod suspicor apecies esse re ipsa distinctas.

A synonymorum citatione satis apparebit, quot et quarum specierum soboles judicatus sit lichen de quo loquimur.

Thamnolia vermicularis Ach. 1819.

Syn. *Lichen subuliformis* Swartz, in Linn. fil. meth. 37. 1781. — *Lichen tubulatus* nivei fere candoris Scheuchz. It. alp. II. p. 137. 1702. — Dillen. Hist. musc. pag. 91. fig. 14. tab. 15. 1741. — Dicks. Crypt. fasc. II. pag. 23. tab. 6. fig. 10. 1785. — *Lichen subuliformis* Ehrh.! Beiträg. III. 82. 1788. — Schrad. Syst. Samml. n. 128. 1796. — *Cladonia* Hoffm. Pl. Lich. tab. 29. fig. 1, 3. 1794. — Deutschl. Fl. p. 118. 1794. — *Lichen vermicularis* Ach. Meth. p. 205. 1803. — *Cladonia vermicularis* DC. Fl. Fr. II. 335. 1805. — *Cenomyce?* Ach. Syn. 278. 1814. — *Baeomyces* Wahl. Fl. Lapp. pag. 458. 1812. — *Cladonia vermicularis* a. *subuliformis* Schaer. Spic. pag. 44. 1822. — *Cladonia vermicularis* Flörk. De Clad. Comm. p. 175. 1828. — *Patellaria fusca* γ *vermicularis* a. *leptostelis* Wallr. Säelf. 122. 1829. — *Cladonia vermicularis* Delia. in Duby. Bot. gall. 620. 1830. — *Patellaria turbinata* c. *leucocitica* Walloth. Fl. Germ. III. 399. 1831 p. p. — *Cladonia rufa* II. *degenerans* Hampe, Ueber Clad. in Linn. 1837. p. 254—55. — *Thamnolia vermicularis* a. *subuliformis* Sch. Enum. p. 243. tab. 9. fig. 7. 1850. — *Cladonia amaurochroea* β. *vermicularis* Körb. Syst. Lich. Germ. pag. 26. 1854. — Engl. Bot. t. 2029. — *Pychnothelia vermicularis* Duf.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05971-0236-4

Thamnolia taurica Massal.

Syn. *Thamnolia vermicularis* β. *taurica* Schaer. Enum. p. 244. — *Lichen tauricus* Wulf. Jacqu. Collect. II. tab. 12 fig. 2. 1788. — *Cladonia vermicularis* β. *taurica* Schaer. Spic. 44. — *Lichen vermicularis* v. *tauricus* Ach. prodr. 206. — *Cladonia taurica* Hochst. Pl. lich. tab. 34. fig. 2. pag. 38. — DC. Fl. Fr. II. p. 333. — *Cenomyce verm.* β. *taurica* Ach. Syn. 378. — Flörk. De Clad. 177. Dill. tab. 15. fig. 14. Hist. m. — Delis. in Duby. B. gall. 620. — *Patellaria fusca* β. *macrostelys* Wallr. Säul. Fl. 123. — *Lichen rectus* Willdnw. in herb. — *Patellaria turbinata* c. *leucocitica* Walloth. Fl. Germ. III. 399 p. p. — *Cladonia amaurochroea* β. *vermicul.** *taurica* Körb. Syst. L. Germ. p. 27.

Veronae Kal. Februarii 1856.

Getrocknete Pflanzensammlungen.

Herbarium Ruborum rhenanorum. Herbarium der rheinischen Brombeersträucher in sämmtlichen vorkommenden Arten, Varietäten und Formen. I. Lieferung. Nro. 1—30. II. Lief. Nro. 31—47. Gesammelt und herausgegeben von Dr. Philipp Wirtgen, Mitglied der Leop. Carol. Akad. der Naturforscher, Director der botan. Section des naturhist. Vereins für Rheinpreussen etc. etc. Coblenz, bei dem Herausgeber und in Commission bei J. Hölscher.

Je verwickelter die Kenntniss einer Pflanzengattung erscheint und je weiter die Ansichten der Autoren über den Werth ihrer Arten aus einander gehen, desto verdienstvoller ist es, die verschiedenen Formen einer solchen Gattung in einer Sammlung zusammenzustellen, aus welcher Jeder Belehrung schöpfen kann und die dann von spätern Schriftstellern nur citirt zu werden braucht, um sich über die Formen, welche sie bezeichnen wollen, allgemein verständlich zu machen. Wir können es daher Herrn Wirtgen nur Dank wissen, dass er sich der allerdings dornenvollen Mühe unterzogen hat, mit der gegenwärtigen Sammlung, die, wenn die nöthige Unterstützung nicht ausbleibt, mit der Zeit sich über alle deutschen Brombeersträucher erstrecken soll, eine werthvolle Grundlage für solche Studien bei einer Gattung zu schaffen, über welche die Acten noch lange nicht geschlossen erscheinen und deren For-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05971-0237-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1856

Band/Volume: 39

Autor(en)/Author(s): Massalongo Abraham Bartholomäus

Artikel/Article: De Thamnohlia genere Lichenum nondum rite definito breve commentarium 221-225